



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

1. An aqua benedicta delet peccata venialia, ex opere operato? Et an idem dicendum sit de aliis Sacramentalibus? Ex part. 3. tr. 4. resolut. 61.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



TRACTATUS TERTIUS
DE SACRAMENTO
POENITENTIAE
ATQUE
DE CASIBUS EXCUSANTIBUS
à Confessione ante Eucharistiam.

Ad ornatum Concilij Tridentini, *sess. 13. cap. 7. & Can. 11.*

RESOL. I.

*An aqua benedicta deleat peccata venialia ex opere operato?
Et an idem dicendum sit de aliis Sacramentalibus?
Ex part. 3. tract. 4. Ref. 61.*

§. 1. **N**EGATIVAM sententiam docent Suarez in 3. part. tom. 4. disput. 12. sect. 5. numer. 5. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 4. diff. 11. num. 4. Coninch. de Sacram. q. 71. art. 3. dub. unico, num. 24. & alij penes ipsos.

2. Sed affirmativam sententiam tenendam esse puto, quam probabilem putat Filiucius tom. 1. tract. 6. cap. 5. num. 129. & fortè probabiliorem Fagund. part. 2. lib. 2. cap. 1. num. 11. & illam absolute docent Henriquez lib. 1. de Poenit. cap. 15. num. 8. Bellarm. tom. 3. de Sacram. lib. 2. cap. 31. §. 3. tercia propositio. Toletus lib. 3. cap. 3. in fine. & ex schola D. Thom. Sotus in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. Canus de locis Theolog. lib. 2. cap. 13. ad arg. 9. Victoria num. 99. & 110. novissimè Didacus Nugnus in 3. part. tom. 2. quest. 87. art. 3. diff. 2. ubi sic asserit: Sicut Sacramenta novæ legis elevantur à Deo ad causandam gratiam physicè, & realiter per verum contactum physicum realem ad modum rerum naturalium, quia scilicet materia sensibilis verè tangit animam tactu reali, non quidem contactu quantitativo, propter quod appellatur contactus virtualis, est nihilominus contactus realis, & entitativus, sicut Angelus verè, & realiter tangit cælum, quando illud movet. Ita similiter aqua benedicta elevatur à Deo, ut & realiter tangat animam tactu illo, qui appellatur virtualis, propterea quòd non est quantitativus, & nihilominus ille contactus est realis & entitativus, quo medio aqua movet ipsam animam, remittendo & realiter corrumpendo veniale peccatum. Et sicut in adultis semper requiritur aliquis actus, ut Sacramenta causerint gratiam; qui tamen actus, vel non est secundùm se sufficiens ad gratiam, vel saltem non est sufficiens ad tantam gratiam, quanta est illa, quæ causatur de facto in Sacramento. Et sic verum est, quòd Sacramenta causant gratiam ex opere operato. Ita similiter licet ad hoc, quòd aqua benedicta remittat peccata venialia,

semper requiritur aliquis actus, tamen vel actus non est sufficiens ad peccata venialia remittenda, vel saltem non est sufficiens ad omnia illa, quæ de facto remittuntur per aquam benedictam. Et sic verificatur propriè & rigorosè, ipsa aqua benedicta ex opere operato remittit peccata venialia; ad quod tamen non est necessarium, quòd maneat in illa aliqua qualitas permanens, sed sufficit ipsa elevatio divina, quæ est motus transiens. Ita Nugnus ubi supra. quæ omnia debent in nobis excitare magnum desiderium attingendi die ac nocte aquam benedictam. Sed an idem dicendum sit de aliis sacramentalibus, vide Nugnum loco citato diff. 3. & Doctores citatos.

Sup. hoc in tom. 1. tit. Ref. 13. cursum cui in fine.

RESOL. II.

An Sacerdos ordinatus ab Episcopo sine forma contenta in illis verbis: Accipe Spiritum Sanctum, &c. si exponeretur ad audiendas confessiones, conficeret Sacramentum Poenitentia? Ex part. 9. tract. 6. & Misc. 1. Ref. 9.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam tenendam esse, sequitur ex doctrina Soti in 4. dist. 24. quest. 1. artic. 4. conclus. 5. Nugni in 3. part. tom. 2. quest. 37. artic. 5. Valentia tom. 4. disp. 9. quest. 1. punct. 5. & aliorum. Unde Reverendissimus Magister Candidus tom. 4. disquis. 4. artic. 2. dub. 5. sic ait: Ordinatio Sacerdotis essentialiter perficitur in prolatione primæ formæ in illis verbis prolatis ab Episcopo: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis.* Verba autem illa, quæ secundo loco proferuntur ab Episcopo: *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remisisses peccata, remittuntur eis, &c.* non sunt de essentia Ordinationis Sacerdotis, sed quasi integritas Ordinationem Sacerdotis, seu, ut meliùs dicam, sunt quasi declaratoria ejus potestatis, quæ antè per prima illa verba: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis:* data fuit.

2. Unde, si casu aliquo Episcopus impediretur, puta, morbo, vel morte repentina, quominus imponeret manus super ordinato, & diceret: *Accipe potestatem remittendi, &c.* Minister ille Sacerdos, cui jam potestas offerendi data esset, & traditus calix cum vino, & patena cum pane, verus esset

Sup. hoc in tom. 4. tit. 1. lege doctrinam Ref. & signatur in tom. 3. tit. 1. ex Ref. 1. §. 4. Non obstat. sed vide eam à princip. & ex Ref. 67. §. 6. Et licet de in tom. 4. tit. 8. ex Ref. 1. §. ult. cursum ad medium.